

mania promiscuè usitatum *nos Dei gratia*; quod eo imprimis sine facit, ut Principes Galliae Majestatem ejus tantò venerabilius tractent, sceptrumq; ejus quàm clientes humillimè agnoscant. Utut hæc omnia claris oculis videant Principes Germaniæ, non deterrentur exemplis, sed quidam ad libertatem & autoritatem spontè vendendam, pro titulo suo *nos Dei gratia* in Imperatoris odium & proprium præjudicium maximum imprudenter ambiunt titulum *nos fideles clientes* Regis Galliae, qui nihil in mundo sanctius & venerabilius placito & jussu Regis Christianismi Ludovici 14. Galliae ducimus, cui vitam, autoritatem, & salutem nostram mundanam in odium Imperatoris unicè concedimus. Sic itur ad rastra, dum placidissimo ac Optimo suo Imperatori parere indignè recusant.

Roma dicitur caput imperij Romani, legum patria, & fons Sacerdotij, *Novell. 9. pr.* orbis compendium, ac totius terrarum orbis domina, quæ omnibus gentibus dominatur. *princ. de Justin. Codice confirm.* lumen gentium, omniumq; aliarum civitatum totius mundi Magistra, omnium dignitatum apex, & omnis magnitudinis decus.

Sacerdos vel Clericus non minus exemplo inculpatae vitæ, quàm administrandis Sacris & verbo prædicationis Sanctæ suis auditoribus præire debet; nam qui benè docet, & malè vivit, quod una manu construit, destruit alterâ; quoniam Sacerdos si peccaverit, faciet delinquere populum, *cap. 7. vers. quod enim. X de voto & voti redempt.* Ideo piè dixit Lactantius: qui aliter vivit, quàm docet, is derogat doctrinæ suæ fidem. Sed talia exempla, proh dolor, voto sunt frequentiora, prout jus Canonicum id comprobat: multi sunt Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci opere; videte, quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus Sacerdos; bonus Sacerdos dignitatem, & malus crimen acquirit, ac cathedræ injuriam infert. Ob id malus Sacerdos, etiamsi benè docuerit, sed malè vixerit, sui ipsius condemnator erit, *distinct. 40. can. 12.* Hinc non Sanctorum filij sunt, qui tenent loca Sanctorum; sed qui exercent opera eorum, *d. distinct. 40. c. 2.* Sacerdotes etiam ob religiosum statum gravius quàm
X x
alij